

EXEGESIS.

Duo cumprimis in hoc articulo continentur. (1) *Quinam sint propriè proditores, & quanam pœnâ illi sint afficiendi.* De proditoribus & eorum diversis speciebus dictum est supra *artic. 42.* Superest, ut nunc de pœna in illos statuta aliquid explicetur. Et quidem (a) distingvit Imperator inter marem & feminam. *Marem* namque proditorem jubet punire *dissèctione corporis in quatuor partes*, quod vocant *Quiertheilung* / quod est pœnæ genus satis severum, & in crimine læsæ Majestatis adhiberi solet; Imperator tamen illud quoque extendit ad crimen proditoris. Ubi corpus rei in quatuor frustra dissecatur, quæ postea juxta quatuor partes mundi in locis publicis suspenduntur. *Femina* verò si fuerit, quæ hoc delictum commiserit, illa mitius punitur; utpote quæ in aquam projicitur, & ibidem suffocatur. Nam ratio sexus in pœnis infligendis haberi solet *l. 6. ff. ad L. Jul. pecul.* proinde etiam feminæ mitius puniri consueverunt. *L. 38. §. 2. ff. ad L. Jul. de adulter.* (b) indicat Imperator *originem istius pœnæ*, nimirum illam initium traxisse ex consuetudine. Beatus Rhenanus *l. 3. Rer. German. p. 119.* refert, apud Germanos pœnam dissectionis in crimine proditoris fuisse in usu. Confer etiam ea, quæ habet Damhouder. *c. 62. num. 6.* (c) *Exasperatio pœnæ in hoc delicto locum invenit*, nempe pro qualitate & magnitudine damni & scandali per istud crimen dati. Ubi iterum duo sunt notandâ (α) Unde damni aut scandali magnitudo æstimari possit; scilicet exinde, si illud civitati, regioni, principi, conjugii, propinquis aut proximis cognatis noceat, utpote quibus speciali quadam fide arctius est devinctus, ita ut istis ferè debeat omnia etiam cum jactura vitæ & bonorum in certis casibus. Quamvis potissimum proditio contra Principem & rempublicam fieri dicatur: Uti Doctores illud *ad l. 6. §. 4. ff. de re milit.* notant. perinde hic quoque, si Vasallus prodatur Dominum suum, cui tamen ex ratione fidei est quam maximè obligatus; ita ut non tantum caducitate, seu privatione feudi puniatur, sed etiam in pœnam hanc Carolinam ob textus generalitatem incidat. (β) In quonam hæc exasperatio pœnæ consistat. Duo saltem modi exasperandi pœnam hic recensentur; semel ut trahæ imponatur, & ei alligatus ad locum supplicii deducatur, quandoque etiam cratibus imponi, & ita ad locum supplicii raptari solet. Deinde, ut candentibus forcipibus prius aduratur, antequam pœna mortis detur executioni. De quo infra *ad artic. 194.* dicetur plenius (γ)